



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Kvnegvndis Avgvsta V. 3. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

*magnum te nescias, & manifestum omnibus tuam  
te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere,  
& contemptibilem te reputare. hoc ego ipsis virtuti-  
bus mirabilius judico. S.Bern.serm.13.in Cant.*

## S. KVNEGVDNIS AVGVSTA V.

3. Martij.

**N**Vlla tam in diademate KVNEGVDNIS gem-  
ma, quā in ipsā KVNEGVDNDE virginitas  
splenduit; quē ut cæli oculos mirè recreavit, ita  
Cacodæmonis usque adeò perstrinxit, ut, quando  
extinguere non poterat, offuscare saltē finistris  
apud animum HENRICI suspicionibus sit adnitus:  
sed provocavit ad flamas judices innocentia, &  
innoxius à ferro candenti pes egregium inculpa-  
to animo testimonium dixit. Porrò cùm tori ca-  
stissimi custodem mors abstulisset, verita KVNE-  
GVNDIS tantum thesaurum mundo concredere,  
in Caufungensem, quem ipsa struxerat, Partheno-  
nem cum eo se abdidit; cuius disciplinam cùm Vta  
neptis ejus laxaret, verbis sæpius nequidquam in-  
crepitam, tandem etiam manu objurgavit & di-  
gitorum luculentas notas in genā iæta reliquit,  
nullâ deinceps arte confusas vel deletas. Moritu-  
ræ de cælo Henricus obviam iit, ad fistendum Iu-  
dici orbis miraculum, Imperatores conjuges sed  
virgines: ad tumulum ejus multis vita redditæ;  
qui cùm KVNEGVDNEM matrem suam salutarent,  
probarunt immeritè virginitati sterilitatē objici;  
quid? quod nec ipsa gleba, sub quā virgo cubat,  
infecunda fuit, sæpe in thus & far conversa, per-  
suasura mortalibus, nec fragrantiorē esse casti-  
moniæ virtutem, neque felicius ullum germen. Ex  
vitâ apud Gretserum.

Si

Si aliqui de nobis vel male fingendo, vel male credendo famam nostram decolorare conantur, ad sit conscientia solatium, quod merces nostra magna est in celis, etiam cum dicunt homines multa mala de nobis pie tamen justaque viventibus. Aug. de bon. Vicuit.

S. CASIMIRVS CONF. 4. Martij.

CASIMIRVS Casimiri Regis Poloniae F. nec dum ephebis egressius in ipsa jam adyta sanctitatis est ingressus. Coronam Vngariæ quanto alii studio vel ambire vel rapere solent, tanto ille repellere à capite suo adlaboravit. Summâ hyeme nudis pedibus noctu templa obibat; purpurâ non corpus, sed cilicum tegebat: somnum humi capiebat, gnarus pusquam alibi tam securos castitatem somnos dormire. His studiis occupatum morbus invadit. Lamentantur parentes; illacrimatur aula; ad gemiscunt regna. Circumstant interea lectulum medicorum turbæ, medicinam facile nuptias suadent, concessam ægro voluptatem. Sed noluit ille vivere, nobilissimâ animæ parte virginitate emortuâ. Itaque ne non virgo moreretur, juvenis moritur, dignus qui in omnium ore ac calamis vivat. Et vero vivere etiam post mortem Poloni compererunt, cum candidissimo equo inventus contra Moschos moventibus Dux adfuit, & traductis per aquas compendium ad nobilissimam victoriam monstravit. Quin cum anno obiisset à pariente VIRGINE M. CCCC. LXXIII. anno deinde M. DC. IV. corpusculum virginicum unâ cum versibus, quos in laudem VIRGINIS panxerat, secumque tumulo inferri mandaverat, integerrum est repertum. Legant hoc ii, qui insuper habent